



**Bellum Sacrum Ecclesiæ Militantis Contra Turcum  
Communem Hostem Christianorum**

**Vaux, Léonard de  
Leodii, 1685**

§. I.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-64991](https://nbn-resolving.de/urn:nbn:de:hbz:466:1-64991)

gionem quasi exules, postliminio Tera-  
ræ Sanctæ restituemus, Angelos San-  
ctos miro gaudio afficiemus, Dei-  
Hominumque gratiam, & Gloriam  
Æternam nobis conciliabimus. Amen.

## NUMERUS UNDECIMUS.

*Quâ ratione magni acervi pecunia-  
rum facile construi possunt, & quis  
eorum fidelis dispensator ad ex-  
pensas Belli Sacri.*

### §. I.

**N**ec verò Belli nervus pecunia  
deesse poterit, si quælibet  
urbs, & Provincia vel modi-  
cum conferat. Unus Sanctus Ludovi-  
cus, olim omnes Belli Sacri expensas,  
per plures annos præstítit, nunc eas  
non præstabunt universi Principes  
Christiani, illo longè ditiores?

Præsertim si Militaris Pragmatica  
observetur, ut milites frugales sint,  
in victu, vestitu, nec auro, vel cya-  
tis, sed ferro, & hastis depugnent,  
uti faciunt Turcæ & Tartari. Quin &  
hostiles

hostiles Provinciæ , utpotè divites ;  
 & vastæ si subigantur , exercitus no-  
 stros alent, uti priscorum Romanorum  
 aluerunt : Ita anno elapso Asianus  
 Bassa copias suas contra Ottomanos  
 aluit ex ipsis Provinciarum Ottoma-  
 nicarum vectigalibus , & tributis ;  
 idque copiose , & splendidè . Ita olim  
 Alexander magnus non nisi septuagin-  
 ta talentis Bellum orsus , spoliis ho-  
 stium , & Gazâ Darii , se & milites  
 omnes locupletavit . Idem fecere Ju-  
 lius Cæsar , Scipio , Pompeius , Han-  
 nibal , Cyrus , Nabuchodonosor ; ac  
 nuper Saladinus , Tamerlanes , Ismael  
 Sophus , cæterique magni Duces , qui  
 hostium opibus suos ditarunt , seque  
 vel Asiæ , vel Europæ , vel Orbis Mo-  
 narchas effecerunt . Soli ferè Kosaki si  
 hæc præda illis offeratur rem feliciter  
 à se sæpius tentatam confident , nec  
 aliud stipendum depositent . Opes  
 Asiæ offeruntur , Spolia Orientis ;  
 quis ad manubias tam opimas non ac-  
 currat , imò advolet ?

Bessarion Cardinalis , memoriæ pro-  
 didit Mahometem , qui duo Imperia ,  
 duodecim regna , & trecentas urbes .

I

ipsamque Constantinopolim expugnat, non nisi duos millones annui census habuisse: quis Christianorum Regum non habeat, longè plures? sed una Constantinopolis dedit ei prædam sedecim millionum. Porro facilè erit Pontifici maximo solidum Belli Sacri ærarium in annos aliquot erigere, si à singulis Regibus, & Principibus Christianis accipiat, quod quisque pro re tam piâ, tam utili, tam sibi & toti Reipublicæ Christianæ necessariâ, volens lubensque conferet.

Rex quilibet conferat millionem, Princeps vel Respublica quælibet aliquam millionis portionem, exurget illico ærarium, non tantum sufficiens sed & abundans. Cujus ipsemet omnium fidelium Pater communis erit sapiens & fidelis dispensator, in expensas Sacri Belli: hunc enim tanquam Christi in terris Vicarium, & visibile ac unicum militantis Ecclesiæ caput constituit Dominus ipse, super universam familiam suam, ut det omnibus filiis escam congruentem, in tempore opportuno: certè nemo alias illo ad hanc dispensationem con-

venientior reperiri potest. Omitto ultimeas mercatorum, aliorumque deditum, in tam pium Bellum oblationes, pensiones opimis beneficiis, elemosinas fidelibus, in Jubilæo in hanc rem à Pontifice indicendas; ex quibus multorum millionum summa conflabitur: si quilibet ditorum, vel aureum conferat. Ex tot deditum per totum orbem millionibus, quot aureorum millions consurgent? taceo dispensationum, privilegiorum, peccatorum, aliorumque mulctas, quæ piè ad tam pium opus exigi queunt & applicari.

§. II.

**S**Anè Innocentius III. Pontifex quadragesimam redditum partem Clericis omnibus in usum Belli Sacri in dixit, Regi verò Galliæ, & Regi Angliæ ita scribit, *Lib. 2. Epist.*  
 „ 239. Tu ipse ad defensionem Terræ  
 „ Sanctæ competentem in expensis  
 „ tuis dirigas, numerum bellatorum,  
 „ quasi decimas saltem Christo  
 „ persolvens, ita quod ex hoc divi-

I 2